



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXIX. Bonon. fideicommissi de Barberiis. De eadem materia, An scilicèt vocatis masculis ex fœminis agnatis, veniant solùm masculi immediati, vel etiam mediati per duplex medium fœmininum; Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

ponderis, Tum etiam quia hæc verborum impropria iō cadere posset quando nullum aliud adminiculum vel conjectura urgeret, unde in casu mere ambiguo dicto solum verbo obstante, ex qualitate dispositionis probabiliter dubitari posset, quod illud ex inadvertentia Notarii seu alterius Scriptoris testamenti, aut peripsummet testatorem habitum esset pro synonymo cum altero verbo *sexus*, secus autem tot aliis conjecturis ac adminiculis concurrentibus, eisque in simul junctis, cum regula in hac materia perpetuo attendenda, ut *singula qua non prosunt* &c.

Et his addebatur alterum adminiculum clarius resultans ex illis verbis, repetitivis, ut *supra* & *pro ut supra*, & *modo* & *ordine* quibus de ipsis Joanne, Marco Antonio & Alexandro, & lineis eorum masculinis dispositis, unde cum præcedenter absque dubio testator semper intellexerit de masculis per masculum absque mixtura feminarum, idcirco idem dicendum erat in præsentem ex natura dictionis seu orationis repetitivæ juxta vulgaria & quotidiana axiomata.

Supponebatur, quod Judices motivando præmissa omnia admitterent, quando viveret dictus Vincentius masculus immediatus, cum quo dicta quaestio cœpta fuit, sed quod haberent difficultatem in expiratione fideicommissi & exclusione dictorum aliorum masculorum, qui in effectu erant descendentes testatoris, fundando motivum in absurdo, ut extraneus hæres dicti Vincentii, cujus iure dictæ eius nepres veniebant tanquam in bonis liberis, excluderet dictos descendentes contra verisimilem voluntatem dicti testatoris, qui in lineis trium masculorum primò institutorum etiam spurios vocavit, Verùm etiam in sensu veritatis istud motivum non videbatur considerabile, quoniam hujusmodi dispositiones non trahuntur de casu ad casum vel de persona ad personam, atque ille qui non est vocatus exclusionem meretur, cum vulgari dicto Joannis Andreae *fideicommissum de te non loquitur*; Neque ratio absurdi vel inverisimilitudinis apta est inducere vocationem ubi non adest, quoniam non quaeritur, cur testator voluerit, sed quid voluerit, ideoque absurdorum vel inverisimilitudinis consideratio efficax reputari solet pro interpretatione in casu mere ambiguo, non autem pro inducenda nova dispositione, ut bene pluribus antiquioribus relatis habetur apud Cyriac. *controv. 281. num. 34. cum pluribus sequen.* & in his terminis individualibus per Rotam in superius allegata Bononiensis *fideicommissi de Amorinis coram Meltio post colluctationes Bondeni decis. 52 & 66.* ubi hoc absurdorum ac inverisimilitudinis motivum negligitur, etiam in casu fortiori, quod fideicommissum non expiraret, sed ulteriorem durationem haberet, faciendo transitum ad personas penitus extraneas juxta dictum casum, de quo *infra disc. 30.* Multo magis in præsentem, quoniam ut *infra* in hac materia pluries advertitur, ac videtur principium absolutum, maxima differentia est inter casum, in quo agatur determinando

servitutem fideicommissi, atque inducendo bonorum libertatem, cujus favor exigit, ut in dubio pro ipsa contra fideicommissi continuantem servitutem respondendum sit, ac facienda interpretatio juxta opinionem magis communem & in foro, præsertim verò in Rota receptam, ex deductis apud Ottob. *decis. 355. in fine*, & passim, Et casum in quo agatur de continuatione fideicommissi, cuiusque transitu ad genus absque dubio minus dilectum, ac subsidiarie vocatum, ideoque intrat

vulgare argumentum desumptum ex *auti*, magis &c.

Præterea ubi etiam dicendum esset, quod etiam risimili seu præsumpta mente testatoris, fideicommissum ulteriorem durationem in universa descendencia habiturum esset, donec illa duraret, adhuc tamen posita delatione fideicommissi, restarent remanebant dicti de Lupis à masculis procreantibus, dictis foeminis proximioribus dicti ultimi generis, cujus proximitatem hodie absolutum est, non fragante testatoris voluntate, attendendam de Cum enim non ageretur de primogenitura vel primogenitura, unde intraret difficultas de qua supra Bonon. *primogenitura de Lupis disc. 7.* & cum præsupposito, licet non bene in hac parte, præsum fuit in d. Bonon. *de Barberiis coram Carrado*, ageretur de simplici fideicommissi; Hinc proinde de plano intrat conclusio in fideicommissis restantissima, & hodie absoluta, de qua in eadem d. Bonon. *Luparis*, ac etiam in Ferrar. *fideicommissi de Barberiis disc. 9.* ut fideicommissum stare debeat in spensio, donec durat spes seu potentia existerent personarum de genere prius vocato, seu de linea in quam bona ingressa sunt, cum istorum transitus ab una linea ad alteram non detur, donec illa non evacuata sit, quod dici non potest, donec rat spes seu potentia illius durationis, que expressè debet, ideoque ex pluribus bonum jus habere affistere videbatur.

BONON. FIDEICOMMISSIS DE BARBERIIS.

PRO

MAURITIO BEROALDO

CVM

NICOLAO ROFFENO.

Casus decisus per Rotam pro Nicolao.

De eadem materia, An scilicet vocatis masculis ex foeminis agnatis, veniant ad masculum immediatum, vel etiam mediatum, duplex medium foemininum; Et applicatio filiorum hujusmodi foeminarum conveniat nepotibus, ac ulterioribus descendentibus.

S Y M M A R I U M.

- 1 **F**Acti series,
- 2 Resoluciones causa.
- 3 De punctis seu disputationibus habitis.
- 4 De regula ut vocatis masculis ex foeminis veniant omnes tam mediati quam immediati non tantum pluralitate mediorum.
- 5 De limitatione ex conjecturis diversam voluntatem suadentibus, & qua sint ista conjectura.

- 6 De ratione dubitandi de resolutionibus qua maturius considerate placent.
- 7 De questione an filiorum appellatione veniant nepotes remissive.
- 8 Quando nepotes veniant ex coniecturis.
- 9 De successione nepotum & ulteriorum descendendum ex primo filio immediato jure subingressiois in vim vulgaris anomalæ.
- 10 De questione an successio remotioris censeatur revocabiliter ita ut proximior superveniens eam avocet.
- 11 Infideicommissis non admittitur linea seu genus postea & subsidiariè vocarum, donec durat spes seu potentia primi, sed successio stare debet in suspensio.
- 12 Quid in primogenituris.

DISC. XXIX.

Nicolaus de Barberiis, instituit filii masculis quatenus extarent, eis eorumque descendibus deficientibus, vel non extantibus, & sic defecta, vel non incepta ejus linea masculina, vocavit cum perpetuo fideicommissio lineam masculinam trium ejus transversalium agnatorum, qua etiam defecta, vocavit cum ordine primogenitura filios ac descendentes masculos Juditæ ejus filia, & in istorum defectum vocavit filium masculum natum majorem Lucretiæ fororis, ejusque lineam masculinam, in juncto onere, tam filiis filia, quam filio fororis renovandi familiam cum assumptione cognominis & insignium; Defuncto autem testatore sine prole masculina, delataque hereditate dictis agnatis transversalibus, obiit dicta Juditæ absque prole masculina, superstiti Valeria unica filia, atque sequuto etiam obitu dictorum transversalium sine masculis, dicta Valeria adhuc innupta existeret, Nicolaus Rossenus dictæ Lucretiæ fororis filius natum majorem hanc fideicommissariam successione agnovit ac obtinuit; Ad aliquos vero annos ex Valeria nupta Beroaldo procreatus est Mauricius, cujus nomine tanquam primò vocati judicium super dicto fideicommissio institutum fuit in partibus coram Auditore Generali Bononiæ. à quo prodiit sententia Nicolai rei conventi absolutoria, confirmata in secunda instantia per A. C. Et introducta per appellationem causa in Rota coram Corrado, sub die 5. Decembris 1650. prodiit resolutio dictis sententiis conformis, confirmata 16. Februarii 1652. coram Bichio, ut patet ex decisionibus desuper editis impress. decis. 95. & 218. par. 11. recent. Et quarum prima est etiam repetita post Censal. in addit ad Peregr. in illis modernæ impressionis decis. 17. atque stantibus tribus conformibus, à Signatura etiam canonizatis, actor acquievit, ideoque ita controversia finem habuit.

In hujusmodi autem disputationibus coram A. C. & in Rota, de tribus questionibus acerrimè actum fuit; Primò ac principaliter de puncto. An vocatis masculis ex feminis agnatis, veniant solum immediati, vel etiam mediati per duo media femina; Secundò, an sub nomine filiorum masculorum ex dictis feminis veniant nepotes, vel ultiores descendentes, quibus dispositio conveniret; Et tertio dum de tempore facticafus non aderant masculi descendentes ex filia prædilecti, ac primò vocati, unde successione agnovit masculus ex forore minus dilectus, ac subsidiariè secundo loco vocatus, An superveniens masculus prædilectus.

Cardin. de Luca de Fideicommiss.

ctus avocaret successione ita revocabiliter remotiori delatam.

Super primo puncto resolutum fuit venire solum immediatos, & consequenter vocationem non convenire dicto Mauritio actori, utpote descendenti ex dicta femina agnata per aliud medium femininum, ex eisdem fundamentis, de quibus supra in Parmen. disc. præcedenti, quod scilicet quamvis receptissima regula sit, ut vocatis masculis ex feminis, attendatur solus sexus, & non curetur medium singularitas vel pluralitas, dum utroque casu masculi æquè cognati sunt, & de extraneis familiis, illam testatoris fide renovaturi, idcirco nil referre videtur, an medium femininum sit unicum, vel duplex aut multiplex, quoniam contemplatus videtur solum sexus pro hujusmodi renovatione necessarius, juxta auctoritates d. disc. præcedenti relatas, quas longè que majores juxta styllum juvenum, Ego scribens pro actore in ista causa, cum majori otio, & labore cumulabam.

Nihilominus receptissima quoque est limitatio ex contraria voluntate testatoris deducta, ex pluribus coniecturis eodem disc. præcedenti quoque ponderatis; Primò scilicet ex verbis personalitatem denotantibus, ac importantibus restrictionem ad filium masculum immediatum dictæ Juditæ filia, designatum pro stipite novæ lineæ masculinæ agnatiæ per artem seu fictionem; Secundò ex verbo lineæ masculinæ directo in ipsam Juditæ, quod non nisi ejus filii masculis ac descendentes ex eis convenire possent, ex ratione in præcedenti etiam deducta; Et tertio ob contemplationem agnationis, quæ inesse dicitur eo ipso quod vocata est agnatio vera & naturalis, eaque defecta demandatur ejus renovatio, juxta nimium copiosè deducta in prima decisione coram Corrado, quæ super hoc puncto desumendi contemplationem agnationis ex hujusmodi demandata renovatione circumferretur tanquam magistralis, atque est fons, à quo talem contemplationem probare volentes quotidie totum desumunt, ut expertus fui in pluribus casibus, præsertim in Romana primogenitura de Subalo, de qua supra disc. 25.

Istius primi puncti resolutiones, tunc quando nullæ habebantur decisiones hujusmodi materiam adeo distinguentes ac explanantes, ut etiam d. disc. præced. innotuatum est, mihi circa professionis initia parum probabiles videbantur, neque de facili intellectum in earum obsequium captivare poteram; Tum ob rationem supra pro regulæ comprobatione ponderatam, quod scilicet nil referre videtur quelitas immediata vel mediata; Tum etiam propter absurdum inverisimilis voluntatis productivum, ut ob hujusmodi subtilitatem, extraneus transversalis etiam cognatus excludere deberet testatoris proprium sanguinem ac descendentiam, dum ita descendentes æquè bene ejus voluntatem implere poterant; Verum deinde expertus plures alias conformes causas, ex quibus agnovi solitos esse testatores, præsertim Bononienses ad solos masculos immediatos hujusmodi dispositiones restringere, ex ratione pariter discursu præcedenti ponderata, ut præsertim me docuerunt duæ alia Bonon. ac Firmana, in quibus in trib. discursibus subsequentiibus, Hinc proinde captivavi intellectum, atque agnovi dictarum resolutionum probabilitatem, cujus etiam ab initio vehemens præsumptio apud me urgebat ex eo, quod in tribus instantiis trium diversorum Tribunalium, quinimo & in quatuor stante etiam iudicio Signaturæ,

eLUCA
de
lamentis
beat.
CVI
9

occasione denegandi appellationem à tribus conformibus, tot viam in conforme esset iudicium, quod proinde in dubio prævalere debet iudicio Advocatorum quandoque à causæ affectione fascinato.

Hinc proinde, ut etiam advertitur in prima decisione coram Corrado, prius extraneus, ac inanis remanebat magnus labor scribentium hincinde super quaestione ex professo disputata, An sub nomine filiorum veniant nepotes ac posteriores descendentes, reassumendo omnia desuper collecta apud Fusar quæst. 320. & per Rotam apud Merlin. decis. 206. alias decis. 6. par. 5. rec. & decis. 402. par. 9. & dec. 84. par. 10. & aliis frequenter, quoniam stante defectu qualitatis desideratæ per testatorem, cessabat omnimodum fundamentum applicationis.

Tunc autem talis quaestio congrua fuisset, quando ex Juditta filia procreatus fuisset filius masculus immediatus prædefunctus ante factum calum fideicommissi, de cuius tempore esset solum superstes nepos vel pronepos, aut ulterior descendens per masculum, & de linea masculina primi immediati; Et tunc ut etiam ipsæ decisiones agnoscunt, probabilius ac omnino pro tali nepote vel ulteriori descendente responderi debuisset, non obstante quod testamenti verba essent personalia, atque restricta viderentur ad filium immediatum dictæ feminae, Tum ob duas limitationes in hoc proposito passim receptas, Unam scilicet, ubi agitur de dispositione collata in tempus remotissimum, & post defectas plures alias lineas præcedenter vocatas, unde improbable est, quod testator cogitaverit de superexstentia filiorum primi gradus; Et alteram, ubi agitur de faciendo transitum à descendentes ad extraneos, sive à genere magis dilecto ad alterum minus dilectum, ut de utraque limitatione apud Merlin dicta decis. 206. & Fusar, dicta quæst. 320. & seq. apud quos concordantes, & frequenter infra in materia huius articuli, an scilicet & quando sub nomine filiorum veniant nepotes, ac posteriores descendentes.

Tum clarius & solidius, quoniam vocatio talis filii immediati non terminabit in ejus persona, sed habebat tractum successivum ac perpetuum in omnibus ejus descendentes masculis atque linea masculina expresse vocata, ac etiam conditione posita erat priusquam fieret transitus ad dictum alium substitutionis gradum, Et consequenter corruptis uno vel pluribus gradibus antecedentibus, de plano intrabat ulteriorum subingressio in antecedentes gradus corruptos jure vulgaris in fideicommissio seu anomala, juxta receptam theoriam Baroli in l. quamdiu num. 10 ff. de a. quib. hered. de qua supra disc. 17. & 18. ac etiam pluries infra; Tunc enim primus ac immediatus stare videtur, non taxative tanquam ille, in quo perneceffe successio effectum sortitura sit ad suam masculinam posteritatem transmittenda per solam fideicommissariam, sed potius demonstrative, tanquam pro stipite semiagnato ex femina agnata immediate constituto, ex quo talis linea masculina constituenda sit, ideoque in omnibus de eadem linea residet capacitas succedendi in exclusionem ulterioris substituti; Sive quod primus & immediatus ita eam qualitatem in se impressam, ex præsumpta verisimili voluntate testatoris ad ejus descendentes masculos transfuserit, dum testator ipsos potius, quam nepotem ex sorore ejusque descendentes voluit.

Ex eadem ratione, extraneus quoque ac inanis remanet non modicus labor per scribentes hinc inde habitus, & quem etiam inaniter reassumendo voluit elaboratissimus primæ decisionis extensio super doctrina Lamperti de Ramponibus, de qua habetur actum supra disc. 10. & 11. & in aliis plurius. An scilicet successio remotioris ob non existentiam proximioris & de genere prædilecto intelligenda esset provisionaliter seu revocabiliter, ita ut remotior superveniens revocet bona ei delata, quoniam ex deficiente qualitate necessaria ut supra, cessabat quaestio in radice, dum actor non erat de genere vocatorum, & consequenter remanebat in terminis meri extranei.

Quando autem ista difficultas non obitaret, quæ nempe casus successione obvenisset vivente Juditta filia, quæ filios masculos adhuc non procrearet, unde dictus filius foris successione agnovisset, deindeque supervenisset filius masculus immediatus absque difficultate vocatus; Et tunc, etiam in casu veritatis, probabiliores credidissent partes hujusmodi proximioris postea superventi, absque necessitate assumendi altiore inspectionem super conjecturis pro recessu à regula, quæ hodie ex magis communi ac recepta opinione constituta est ad favorem remotioris extantis de tempore facti casus & admissi, Sed clarius & facilius ex eo, quod indubitata fuisset admissio ad successione dicti remotioris transversalis, eo quia dum ejus vocatio corrupta est in defectum lineæ masculinæ dictæ filiae propriæ testatoris, oportebat expectare istius omnimodam evacuationem seu deficientiam, quæ sequi non dicitur, donec durat ejus spes vel potentia, unde successio stare debet in suspensio juxta ea quæ habentur supra in Bonon. primogenitura de l. 1. §. 1. & in Ferrar. fideicommissi de Francho disc. 7. & 9.

Et licet in prima decisione coram Corrado, incidenter potius, ac præsuppositivè procedatur cum assumpto quod cum ageretur de primogenitura, non intrabat hæc suspensio seu vacatio in simplicibus fideicommissis passim admissa, eo quia primogenitura, neque temporis momento vacare potest, attamen hoc est æquivocum clarum, ut advertitur in dicta Bonon. disc. 7. atque isti videbantur veritate proprii termini casus, quando factum admitterent, non autem illi dictæ quaestioni Lamperti de Ramponibus, de qua supra disc. 10. & 11. & alibi.

BONON.
FIDEICOMMISSIS
DE AMORINIS.
PRO
FRATRIBUS DE GRASSIS
CVM
JOSEPHO MARIA DE URSIS
ET JOANNE ANDREA DE
BOLOGNINIS.